LAVRENTII GAMBARAE BRIXIANI

VENETIAE.



ROMAE,

Apud Franciſcum Zanettum.

M D LXXXI.

ARGVMENTVM.

ATHILA Hunnorum rex cum ingenti exercitu Galliam ingressus, ab Actio Gallorum duce in campis Catalaunijs acie victus est, magna vtrinque clade accepta. Quare in Pannoniam reuersus, nouas copias collegit, vt belli fortunam iterum experiretur. Sed audita morte Actij, consilium mutauit: conuocatoq. Budæ concilio, suis persuasit, vt in Italiam arma conuerterent; vnde præclariorem victoriam, quàm aut Alaricus, aut aliæ ante nationes, reportarent. Huius rei nuntio Valentinianus Imp. cōmotus, Brunorum Gambaram Brixianum rei militaris peritissimum, ac nobilissimum virum, bello præfecit. Qui multis equitum peditumq. millibus coactis in Pannoniam ire contendit: ac prope flumen Arsiam castra locauit, vbi Barbarorum impetum expectaret. At vero Athila hoc Brunori facto indignatus, statim hiberno & importuno tempore signa iussit in Italiam inferri. Sed eius aduentum ob innumeram hostium multitudinem Brunorus extimescens, Aquileiam se recepit, quam omni opere muniuit. Ille in Italiam descendit ad forū Iulij, ferro & igne cuncta deuastans. Id tēporis Veneti, qui ad mare Adriaticū habitabant, tanto belli tumultu perterriti, patrijs sedibus relictis, in exiguas quasdam insulas numero xxxvij. confugerunt. In quibus a Barbarorū accessu tuti domos ædificare, iunctisq. insulis vrbem fundare; quæ Venetiarum nomen obtinuit. Hanc vrbem toto orbe terrarum insignem fore, ac multis magnisq. victorijs terra mariq. illustrem, senex quidam Brixianus in solitudine tum degens diuino afflatu prædixit. Quarum aliquæ, præsertim contra piratas, regem Gallorum Pipinum, Hunnos, Genuenses, Germanos, Gallos, Hispanos memorantur.

LAVRENTII GAMBARAE BRIXIANI

VENETIAE.

Ad Amplissimum Cardinalem Io. FRANCISCVM Gambaram Comitis BRVNORI F.

QVAE causa impulerit Saturni in regna ferocem
Hunnorũ regẽ Scythię traducere gentes;
Aduentus quorum in Carnos, partemq. patentem
Italiæ, primum Venetæ fuit vrbis origo,
FRANCISCE *expediam. Non hic tu prælia cantu*
Mæonio vulgata leges, non aurea Phrixi
Vellera: sed Veneti primordia prima Senatus.
Non mihi Calliopes opus est, nec Apollinis aura;
Si vati de more tuo FRANCISCE *faueb is,*
Et valeant rupes Heliconis, & vnda Aganippes.
Athila Pannonias celerans remeauerat oras,
Ob gentes bello amissas; quas Aetius dux
Strauerat in latis Catalauni ad mœnia campis.

Ille autem tanto casu non territus Hunnos
Aduocat, & capere arma iterum, gentesq. parari
Ad fera bella iubet; Gallosq. reposcere signa,
Ira iamdudum magis irritatus acerba,
Acceptam ob cladem; quàm pugna exteritus acri.
Nec mora barbaricæ festinant iussa phalanges,
Et subito curant certamine fessa recenti
Corpora, equosq. simul. sed postquam robur in artus,
Et vigor, & solitæ vires rediere; iuuentus
Arma fremit; pars tela nouant, clypeosq. ocreasque:
Hi ferro stringunt myrtum; lætiq. veneno
Hastam armant: adeo est illis innata cupido
Oppositas delere acies. hic curuat in arcum
Excisam montis nemoroso in vertice taxum.
Hunnus equis, Garusq. pedes crudelis in hostem
Ire parat, pharetram Thocarus suspendit ab armo;
Suetus in aduersas letalia vulnera turmas
Dirigere, & valido prosternere corpora iactu.
Arma ferox, ardensq. oculis vocat Athila pugnas
In Gallos; atq. Essedonum sparsa agmina campis,
Danubij ad ripas, & ad oppida proxima cogit:
Funera qui ducunt alacres suprema parentum,
Quiq. diem illorum extremum celebrare choreis,
Et cantu, citharaq. solent, plausuq. per vrbem.
Membra secant in frusta (nefas) matrisq. patrisque,
Mixtaq. visceribus pecudum vescuntur ad auras,
Effossis aut sub solida tellure latebris.
Horum ornant capita argento, leuiq. smaragdo,
Et baccis, auroque, quibus gens effera potat,
Quum fœda inter se laribus conuiuia curant.
Ibant & Tauri (genus intractabile bello)

Sanguine quiq. suas turpant caesi hospitis aras,
Pro gregibus, quum sacra ferunt sollemnia templis.
Extremus venit Scytha, cui simul arma, furorq.
Martius, & caedes hominum, & facta impia cordi;
Mos etiam quibus est ex ipso vulnere caesi
Militis, exerto calidum bibere ore cruorem.
Foedera quin etiam non sunt sine sanguine; nam quum
Inter se haec feriunt, dextri nudo ense lacerti
Hostis vterq. ferit venam, miscentq. cruores
Amborum patera ingenti: quos protinus vna
Degustant, qui iam pepigerunt foedera pacis.
Iamq. aderant Neurae, qui laeta Boristenis arua,
Herbosasq. colunt ripas: gens sueta rapinis.
Hos verti in faciem (si vera est fama) luporum,
Permixtosq. lupis praedas agitare, simulq.
Viuere: quumq. libet facie mox posse ferina
Deposita; in solitos vultus, formamq. reuerti:
Magna quibus laus est, sumptis occumbere in armis.
Picta pharetrati nudabant membra Agathyrsi:
Vulnera quos numquam, vel tela hostilia terrent.
Quiq. habitat ripas flauentes Bulgarus Istri,
Mortiferum Gallis bellum postremus inibat.
Non alius premit infensis felicius hostes
Missilibus, pugnave magis laetatur equestri.
Hi solum ingenti Martem venerantur honore:
Ac soli noua templa dicant, & sacra frequentant.
Stabant instructi Nomadesque, acresq. Georgi,
Essedonesque, Hunniq. truces radiantibus armis:
Qui secus haud longe fulgebant, quàm nemus igne
Accensum rapido diuersa in parte relucet.
Stabat atrox chalybe armatus medio Athila coetu,

Et præceps animi, ſpiranſq. immane fremebat;
Ob bello fuſas acies, ſtragemq. ſuorum.
Haud aliter quàm quum ſtabulis depulſus ab altis
Sub noctem leo Cinyphius; quem paſtor, & ingens
Turba canum montis petere ardua luſtra coegit,
Verberibus multis domitum. fremit intus acerba
Ore fero inſuetas aſpectans tergore plagas,
Atq. ignominiæ non immemor, ægra reponit
Membra ſolo, reficitq. nouas in prælia vires,
Et ſecum indignans oculorum lumina contra
Paſtorem armenti, atq. inuiſa mapalia torquet.
Hanc hominum rabidam peſtem, gentemq. nefandam,
Atque has horrendas acies in regna mouebat
Gallica, ductoremq. Italorum Pannonius rex:
Cui breue corpus erat, cui barba haud denſa, caputq.
Ingens, & ſimæ nares, oculiq. minaces,
Sed parui; quos huc toruus voluebat & illuc;
Et teter fœda ſpecie color. ille ſuperbo
Incedens greſſu gentes terrebat atroci
Aſpectu, & virtutem animo, membriſq. vigorem
Oſtentans, vini in menſam certamen inibat;
At non lene: licetq. ſuperbi magna Falerni
Vno certatim carcheſia vergeret hauſtu:
Ingenio tamen ille acri præſtabat, & aſtu;
Præcipue in rebus dubijs, ſeu protinus hoſtem
Vellet adire pedes, vel equo decernere campis,
Seu munire vrbem, ſeu claudere vallibus hoſtes.
Sed mors illum Aeti, non expectata, coegit
Conſilium verſare nouum ſub pectore: namque
In Celtas ſubito furor omnis, & ira remiſſa eſt;
Acciriq. iubet celſa ad prætoria primos

Ductores, rauco sonitu, lituiq. tubæque.
Sed cornu vt fudit circum tecta ardua vocem;
Protinus indomitæ gentes, atq. agmina sæua
Barbarico clamore ruunt, sonitumq. requirunt
Auditum. ceu sole nouo siluis solet ingens
Concussis examen apum præsepibus alueo
Promereq. & magno se murmure ferre sub auras.
Conuenere duces primi, milesq. sub altis
Porticibus, quæ tectum ingens Riphæus habebat
Bellator, iuxta ripas, vbi labitur vndis
Intortis celer Ister, & ardua mœnia Budæ
Stringit aquis: quam Bleda ferox incinxerat olim
Aggere, & ingenti vallarat mœnia fossa.
Athila sed fratri tacitum insidiatus ad amnem,
Ferro animæ latebras, & spiramenta reclusit,
Atq. illum exhalantem animam prope fluminis vndam
Sæuus arenosa non vno vulnere ripa
Confossum, alitibus prędam, canibusq. reliquit.
Namq. erat & belli cupidus, sitiensq. cruoris
Humani, atq. hominum casu gaudebat atroci.
Dehinc alacer cogit magni intra limina tecti
Concilium (visu horrendum) vultuq. ferino
Prospectans proceres solio sic fatur ab alto:
Dilecti heroes, Martis certissima proles,
Auxilio quorum Europæ cecidere tot vrbes,
Quorum ope magnanimos ad mortem traximus aruis
In patrijs bello Rhemos, sociasq. cohortes.
Nunc quoniam Laurente solo prope Thybridis vndas
Exanimis iacet Aetius; vos arma parate,
Atq. animos, quibus in vertendis vrbibus vsi
Pannonię, quę nunc est nostri regia, pulsis

Indigenis, sceptri sedes. sunt bella mouenda
Aspera in Ausoniam: quæ quamuis miserit orbem
Sub patrias domitum Romano milite leges:
Ille tamen Latijs nos experietur in oris
Bellantes, magnæ præcelsa ad mœnia Romę:
Noscet & an feriant nostris mage pila sagittis.
Viderit at Maures genti communis vtrique,
Atq. idem genitor, cui dura in bella fauebit.
Nam nos haud Martis labor, haud fera bella fatigant,
Nec victi assuetis absistere possumus armis.
Et nos bellando fortunę fulmina semper
Tempsimus, haud aliter quàm tempestatis aquosæ
Nauita vim spernit, ventis assuetus & vndis.
Olim Romanam vastauit Alaricus vrbem;
Prædator potius quàm miles clarus in armis.
Frænarunt alij non longo Marte Britannos:
Atq. alij Libycas factis felicibus oras
Vexarunt armis: alius superauit Iberos:
Et nos addamus nostris regna Itala regnis.
Nam ruere in fines alios bello mihi mens est
Semper, & iniectis terras inuoluere flammis.
Haud armis aliter nostris Oenotria cedet,
Quàm tenerę in campis segetes spirante per amplam
Planiciem Borea cedunt; fragilisq. repente
Culmus humi late inflexis procumbit aristis.
Vos vero victas iam nunc sperate phalanges.
Stabit enim in castris Scythica pro gente ferus Mars;
Annuet & nobis facilem victoria pugnam:
Vllaq. nec pietas, nec amor, lacrymave, precesve
Ausonidum vos commoueant; & nullus in oris
Italiæ, sine cæde manus, sine sanguine vestras
Euadat.

Euadat. cerno sata læta rubescere campis,
Fluminaq. vndanti morientum plena cruore.
Adsis o Gradiue pater, namq. Itala regna
Aggredimur duce te, qui nostræ es stirpis origo.
Annua vota feram victor prope Thybridis amnem,
Et templi spolia in medio direpta dicabo
Ausonidum ex humeris; lætusq. affixa videbis
Signa, tubas, clypeos foribus pendere superbis:
Et Latijs etiam tibi templa sacrabimus oris,
Atq. nouo de more, tibi noua sacra feremus.
His dictis, strepuere tubæ, lituiq. sonantes,
Et sonitu impleuere locum. pulsata resultant
Atria, vicinæq. domus clangore tubarum.
Tunc longo inter se primi sermone fremebant
Ductores. ceu quum celeri silua ardua vento
Pulsa mouet vario densas cum murmure frondes;
Vicinæq. sonum rupes, & lustra volutant.
Aut matutino Zephyrus ceu per mare flatu
Ionium placide spirat, lateq. tumescunt
Non spuma immixti fluctus, non grandinis imbre,
Et circum crepitant non fractis vocibus vndæ.
Venerat & iam fama mali prænuntia tanti
In Latium; iamq. Insubres, penitusq. Sicanos
Abscissos magna Hesperia rapido æquoris æstu
Terruerat. subito hos contra capere arma per omnem
Italiam iussit Cæsar, cui Romula tellus
Parebat, floremq. Italum, roburq. vocari
BRVNORVM iubet, ad ripas qui multa tenebat
Oppida, qua cursu decurrit Mella sonoro;
Quaq. rigat sola fœcundis pater Ollius vndis,
Quaq. Padi rapida vnda fluit, Chisijq. fluenta:

Quem longo clarum bello, proauisq. potentem,
Atq. opibus; Cæsar dudum præfecerat armis,
Militiæq. ducem: iubet hunc peditumq. maniplos,
Et totum Latijs equitatum educere castris:
Indomitas consuetus erat nam vincere gentes
Semper, in hostiles quoties Romana mouebat
Castra acies; illo nec erat quisquam aptior armis,
Quiq. magis belli euentus, artemq. teneret.
Huic nigrantem Aquilam dono concesserat olim,
Insigne æternum generis; quod postera proles,
Et cuncti clypeo, & signis gessere minores.
Nec mora BRVNORO *ductore exercitus oras*
Deuenit properans, primi sub tempora Veris,
Arsia ab Illyricis populis qua diuidit Istros.
Primores belli ante amnem considere castris
Cæpere; & virides vallo & munimine ripas
Cingere, & in latis prope flumen tendere campis;
Et descendentem de montibus expectabant
Sæuum hostem, nulla pressi formidine pectus.
Armorum nam ripa dolis erat apta, vetabatq.
Ad fluuium haud facile aduersas accedere gentes.
Et læua de parte nemus, rupesq. maligno
Accessu prope flumen erat, queis se addere miles
Posset, & iniectis depellere molibus hostem.
Interea positis Heros dum Gambara castris
Instruit accitas armis ad prælia turmas,
Pannonijs infusa iugis, & vallibus Hunnos,
Essedonumq. manum infrænem nix alta vetabat
Tendere iter: quamquam nostris floreret in hortis
Iam rosa, fronderentq. nouis nemora ardua ramis,
Et nitida cæli Sol luce recluderet oras.

Sed

Sed postquam valido defendi milite fines
Italiæ agnouit vigil Athila : protinus ardens
Arma rapit, rumpitq. moras, seq. ilicet ira
Suscitat, atq. equites volitans, peditesq. recenset.
Ergo non glacies illum, non dura retardant
Frigora, nec passim multa tecti niue montes,
Sæuaq. Hyperboreo spirantia flamina ab axe:
Quin Italos bello inuadit. tunc barbara castris
Signa mouet, seq. Ausonias accingit in vrbes,
Atq. animis sæuit præceps, & fulminat armis.
Vt vero instructum tercentum millibus hostem
BRVNORVS *ductor sensit, famamq. per oras*
Illyricas ruere, atq. alpes transmittere cursu
Aerias Hunnorum acies, sociasq. phalanges,
Nec paucos posse innumeris obsistere turmis:
Militiæ cogit posita ad tentoria primos.
Ense bonus stabat, sumptaq. acerrimus hasta
Filius huic iuxta proauis, & patre Masæus,
Non belli laude inferior, nec honore secundus;
Purpura cui latum pectus velabat, & armos
Ingentes: licet & turmas pedes inter equestres
Iret, at ille tamen superabat vertice, & ore
Egregio armatas acies, velut ardua in hortis
Inter odoratas laurus, corylosq. cupressus.
Hic atauum prisco reddebat nomine, & armis
Fulgebat longe auratis, clypeoq. vomebat
Et galea vndantes (visu mirabile) flammas.
Ille exceptus equi dorso referebat equestrem
Mauortem, quum bella parat crudelia ad Hebri
Flumina, & oppositos implet terroribus hostes.
Hos circum haud aliter miles glomerabat in vnum

Ausonius, quàm nimbus apum pernicibus alis,
Dum propere caua tecta petunt, & nubila nondum
Effundunt tenues nigranti ex æthere rores:
Sed densa huc, illuc volitant, atque incipit auster
Per campos spirare, subitq. mapalia vulgus
Balantum, pastorq. priusquam decidat imber:
Mox hasta inixus longa, Dux talia fatur:
Ausonij proceres, quorum est iam cognita virtus
Terraq. pelagoque, fidem iam fama reportat
Haud dubiam; & certi referunt, quos misimus illuc,
Horrida castra truces posuisse in finibus Hunnos
Pannoniæ, atq. audisse sonos per inane tubarum.
Fama refert hos infensos petere Itala regna,
Non secus ac venti, cum nauibus asper Orion
Nascitur, illi instar vibrati fulminis æquor
Euertunt. ruit anteuolans comitante procella
Africus, Ionijsq. rates soluuntur in vndis,
Illisæ penitus scopulis, & murice cęco.
Cernitis vt veniens Hunnorum exercitus omnes
Illyricos, & Germanos, totamq, fatiget
Italiam, Libyamq. metu, Rodanumque, Tagumque;
Nec nobis Italorum armis diffidere turpe est:
Nam nos obniti tot contra haud agmina pauci
Sufficimus, nec tanta Italos a peste tueri.
Sed tamen aduersis pugnando funera turmis
Mittemus; nec erit miles, nec ductor inultus
Hac pugna: quamuis campo sit stratus aperto.
Quid tum, si tandem victi moriemur ad vnum?
Sanguine nec fuso Latias seruabimus vrbes?
Quare agite vnanimes Aquileiæ antiqua petamus
Mœnia, Riphæisq. locum, sciffo aggere, Garis
Linquamus

Linquamus; nec nos teneat mora longa virentes
Has circum ripas: nam si nos septimus ortu
His nitido attigerit cunctantes Lucifer oris,
Ceu leo magnanimus venantum septus ab armis
Vndiq. cum numero premitur, sic nos premet hostis
Innumeris equitum turmis, peditumq. cateruis.
Dixit; & in numerum, collecto milite, castris
vellere signa iubet, ductum & rescindere vallum;
Diruere & sedes, & propugnacula rupto
Aggere; vt herbosis flumen se effunderet aruis,
Et campos tegeret passim stagnantibus vndis.
Nec mora: Dux totis Aquileiam tendit ad vrbem
Agminibus: duplici quam fossa cingit, & alto
Aggere, pilatasq. accendit ad arma cohortes,
Quas sibi delegit socias: nam cetera ab armis
Agmina, & alipedum turmas dimisit equorum.
Tendere vulgus item iuga longa ignobile iussit
Ardua, seuiret donec ferus Athila in oris.
Sed frustra Ausonidum fulmen BRVNORE *Aquileiā*
Ingrederis: nam tu tandem cum milite paucos
Post annos, multo occumbes oppressus ab hoste;
Dum Scythię oppugnant Aquileię mœnia gentes,
Et vastant circum direptis vrbibus agros.
Tuq. etiam longe telo fallente Masæe,
Pugnando effundes animam, dum reijcis hostes
Missilibus, qui iam fossas, vallumq. tenebunt:
Essedonum nec te terrebunt arma furorque;
Atque vmbra obtexet telorum mœnia iactus.
Saluete o magni Heroes, fortissima pubes,
Quos olim genuit ditissima Brixia; quos nunc
Clara Aquileia tenet cumulatos laude perenni.

Vos

Vos patrij fleuere amnes, & pastor, & omnis
Agricola impleuit lamentis tristibus auras.
Pastorum cœtu, & fluuiorum septus in altis
Fornicibus vos defleuit Sebinus, & ingens
Benacus, gelido mœrens seq. abdidit antro;
Et circum sonuere nouis caua saxa querelis;
Dum sæuo caderent bello tecta alta Aquileiæ:
Itala terra etenim vobis morientibus omne
Præsidium, quum Marte graui, flammaq. labaret,
Perdidit, & tanto intremuit concussa tumultu.
Iamq. ferox animi, prædaq. inductus opima
In Carnos, Iuliq. forum peruenerat Hunnus,
Funera dans ferro passim discrimine nullo:
Quo duce iam pagi ingentes, atq. oppida, & vrbes,
Et virides siluæ flamma superante ruebant.
Ipse fugam externas ciuis molitur ad oras:
Agricola amissis gregibus, quum sidera surgunt,
Progeniem secum paruam trahit, & fugit amens
Extremum patriæ excidium, violentaq. bella.
Congestas alius multo sudore relinquit
Diuitias, furtimq. petit iuga saxea montis,
Hic & inaccessas rupes se territus abdit:
Hic trabe inexperta, nigræ sub imagine noctis,
Ire per insuetum properabat turbidus æquor.
Tantus erat belli terror, rerumq. ruina.
Tunc veteres subito Veneti Troiana propago,
Qui littus procurum Adriæ, & vicina colebant
Oppida, vicinosq. sinus, gens sanguine claro,
Atq. potens opibus, proauorum & nota triumphis,
Deseruere suos bellum ob crudele penates;
Deuectiq. maris non longe a littore multis

Nauigijs

Nauigijs, Venetam fundarunt fluctibus vrbem
In medijs; vrbem egregiam, quæ parua iacebat
Insula ad Adriaci stagnantis littora ponti:
Quam sparsæ incingunt pacata per æquora terræ:
Non longe qua Medoacus decurrit in vndas,
Et Mattemauci qua feruent ostia portus.
Interea Veneti struerent dum tecta, nouasq,
Ad littus sedes, vrbis cunabula primæ,
Medoacus placido qua tendit in æquora cursu
Adriaci maris, & pelagi se miscet amaris
Fluctibus, admixto perdens sua nomina ponto:
Fluminis ad ripas vir multis obsitus annis,
Corpore sed validus, siluis habitabat in altis,
Insignis vitæ, & morum probitate; solebat
Qui largo gemitu ante aram, lacrymisq. profusis
Abluere antecactæ commissa piacula vitæ;
Aeternum & laudare patrem noctesq. diesque;
Et longa exiguo ieiunia soluere victu,
Seclusus procul a turba, rerumq. tumultu;
Vnde illi dederat cælestis spiritus aure
Et res & varios rerum prædicere casus:
Aspiciens medijs surgentem in fluctibus vrbem,
Sic ait: Ante alias o felix insula, iam non
Amplius aut colubrum domus, aut secura volantum
Tecta; sed æternum cælo gratissima sedes,
Littoris, Adriaciq. simul noua gloria ponti,
Tuq. viros genitura etiam, qui mœnia Romæ,
Et septem geminos colles, veteresq. Latinos,
Dardanijq. regent Mauortia regna Quirini.
O quotiens bello classis tua per freta victrix
Immerget pelago nautas, franget q. biremes

Prædonum;

Prædonum; dum curua latent prope littora, subter
Exesos pelagi scopulos, fretiq. latebris,
Necnon fraude loci medijs prædantur in vndis?
Hos Consul Venetus tua dum prope littora prædas
Conuectant, classe instructa per marmora nota
Vincet: inundabunt largo caua saxa cruore;
Illorumq. in regna ruens felicibus armis
Deuictos patrio trudet de limite victor.
Atq. aliquis sibi rem Venetam, sibi Consul honores
Præcipuos vrbis poscet, longamq. quietem
Rumpere tentabit frustra, pœnasq. cruore
Effuso luet, aut patrijs pelletur ab oris.
Adueniet quondam Gallorum e partibus hostis,
Hostis atrox, armisq. potens, diuesq. triumphis.
Is secum quamuis bella ad naualia ducet
Tercentum æratas spumantia per freta puppes,
Quæ late patrios portus, terrasq. tenebunt:
Res non ille tamen Venetorum euertet amarus
Bellator, sed littoreas inglorius oras,
Et classe ingenti amissa, signisq. redibit.
Non acies ferro armatæ populiq. nocebunt,
Quos vicinæ vrbes lacrymosa in prælia mittent.
Illum non structi supra placida æquora pontes,
Innexæq. trabes, & robora cæsa iuuabunt:
Illius quin Adriacis exercitus vndis
Mergetur; nam vi bellantum corruet ingens
Pons pelago; permixta viris tabulata natabunt,
Pugnantumq. palus clamore remugiet alta.
Quid dicam? Adriaci te tunc maris vnda iuuabit,
Vespere quum refluit sero, littusq. videtur
Linquere, & Auroræ cursus extendere ad oras.

Impetus ipse etenim refluentis maximus vndæ
Illos inuoluet ponto, & coniuncta resoluet
Robora, connexasq. trabes: ceu tempore veris
Eridanus solet, aerias cum diruit alnos
Diluuio ingenti, ripasque, immixtaq. ripis
Saxa, trabesq. petit, diuulsoq. aggere tortis
Vorticibus, sata læta premit, camposq. virentes,
Et virides culmos, & culta noualia secum,
Vndantiq. trahit spumans tecta alta ruina.
Diffugiet rex infrendens, longaq. carina
Confisus linquet duro in certamine gentes:
Quos ingens pauor huc trepidos impellet, & illuc.
Tunc Veneti laude accensi subito eminus hostem
Telorum nimbo inuadent, iactisq. sagittis.
Hic animam madida moriens iam linquet arena:
Pars longa adnixi tabula vada lenta tenebunt:
Quam manus a tergo iuuenum, pelagiq. sequetur
Accola, captiuosq. neci dabit, & feret arma.
Vrbs Veneta aspiciet passim cæsa agmina ponto
Huc illuc fluitare, ratesq. per æquora ferri
Remigio tandem excussas, acriq. magistro.
Et veniet qui sæua dies in bella ferocem
Huc vehet Hunnorum gentem, quam tu quoq. vinces.
Namq. tuam ratibus, validisq. triremibus vrbem,
Vrbem auctam nondum imperio, claramve triumphis,
Aut opibus pelago aduectis, stabilive Senatu
Inuadet Scytha, nunc spolijs, nunc cęde superbus
Ausonidum, ob captosq. duces, populataq. regna.
Tunc Venetus contra venientem ad proxima classem
Littora prævalido sese feret obuius hosti,
Et pugnam ingentem patrijs committet in vndis:

Quæ dabit æternam ventura in sæcula famam,
Et Venetis, claroq. Duci, qui milite, & armis
In freta vasta rates Hunnorum funditus egit.
Sulcantem cerno late tumida æquora classem
Ingentem, & rapido cursu tua nota petentem
Littora: qua rauco fluctu ferit Adria cautes
Illyricas, pontum perflat quum turbidus Auster.
Hæc bellum tibi funestum tua per freta portat;
Tercentum namq. arboribus vada cærula pulsat.
Illa tibi magnum exitium, cladem q. minatur.
Aspicio pontum niueis albescere velis,
Et late spumare tuum validis mare remis.
Non tamen hic magnus ductor lætabitur vnquam,
Nec venisse volet: namq. induet inclytus arma
Dux tuus, & subito classem deducet in vndas,
Atque petet subito Tergesti littora cursu:
Mox sese pugnæ nauali aptabit, & hostem,
Hostem animis nimium fidentem, & classe potenti
Inuadet, sonituq. tubæ maris æquora passim
Accipient sonitum ingentem, ratibusq. nitescent
Hic illic igne accensis. pugna horrida ponto
Crudescet: sed tu Venetum Dux clarus in vndis
Victor eris, cernesq. hostili sanguine fluctus
Spumantes, atq. arma virum, confossaq. telis
Corpora per longos pelagi fluitantia tractus,
Differri remos, perfractaq. transtra per æquor.
Mox Aquilam belli signum, victasq. biremes,
Atque Ducem tantę classis tua lęta videbit
Vrbs captum, & ratibus tot rostra erepta superbis,
Et iuga longa ratis multo fœdata cruore.
Sæpe geret Venetum Consul naualia bella

Per

Per Syriæ, Epiriq. sinus, armisq. tenebit
Littoreos circum portus, vrbesq. propinquas,
Et victor belli signum per littora figet.
Hic Adriam imperio factis felicibus addet,
Ille Rhodon, sparsasq. Aegæum per mare terras:
Ille Padi hostiles superabit ad ostia turmas.
Alter & ad Iuliq. forum victo hoste cateruas
In præceps aget ad ripas, pugnansq. recusso
Funera mille dabit vicina ad flumina ferro.
Asper Tyrrhenus insurget ductor ab oris,
Et classem instructam secum vehet, & tua bello
Oppida, littoreosq. sinus vastabit, & vrbem
Classe coronabit minitans, & bella ciebit.
Audiet armorum sonitum, & spectabit in acta
Pugnantes vulgus gentes: lateq. sonoro
Terrebunt clangore tubæ, plebemque, patresque.
Tunc primum pugnas terra furibundus inibit
Aduena: cui magnum auxilium gens proxima ponto
Afferet, & varias gentes deducet ad vndas.
Aspera tunc surget bellantum in littore pugna.
Tunc Princeps ducibus captis, aut cæde peremptis,
Et trabibus mare submersis, prædaq. potitus,
Rem Venetam subito longa obsidione leuabit,
Et desolatas vrbes, atq. oppida circum.
Olim tempus erit Ligurum cum tu quoq. portus
Accedes victor, populabere & omnia ferro,
Et late rebus direptis vltor abibis;
Illorumq. duces victrix classis tua captos
Ad Venetum innumeris ducet cum nauibus vrbem.
Sæpe tuus pelago noua prælia ciuis inibit,
Multa solo, grauiora tamen, magisq. horrida; namq.

Abdua, decurrensq. vndabit Mella cruore,
Nec non Bacchilio: voluent Athesisque, Padusq.
vorticibus peditum cuneos, equitumq. cohortes:
Imperijq. tui fines Germania, & oras
Diripiet, rapidisq. dabit capta oppida flammis.
Et furor armorum te contra accendet Iberos,
Et Celtas, & Germanos, & deniq. totam
Italiam, & late Ismarias tua per freta puppes.
Heu quoties bellum clypeis, atq. ense corusco
In te acuent variæ gentes, iniustaq. bella
Indicent tibi? sed frustra, nam sola resistes
Tot contra armatis populis regnisq. superbis.
Vt pelagi scopulus per inhospita littora ponti
Cyaneas errare ferunt vbi per mare cautes,
Qui stabilis stat mole sua, atq. incinctus acuto
Murice contortos densis à flatibus Austri
Spirantis frangit fluctus; & fulmina, & imbres
Perpessus licet, & pelagi latrantis arenas:
Ille tamen post longam hiemem, postquam æquora cursu
Cessarunt vexare Noti, se ostentat ab alto
Arduus, haud vento fractus, vel fulminis ictu.
Tu vero numquam mirabere magne Senator
Quod gens sæpe tuos teneat rate barbara portus:
Namq. Vrbem oppressam vidit Romanus, & arcem
Aeriam circum diuerso a milite septam:
Quos etiam pulsos vidit, bellove peremptos.
Salue vrbs egregios olim genitura Catones,
Et Fabios, & Scipiadas: tibi seruiet ingens
Adria, & Adriaci maris vnda, & littus vtrumque,
Et circum celsi colles, & Iapygis ora;
Quasq. tenet rex sublimes Thæacius arces,

Eubœamq. tuus, Cyprumq. Senatus habebit,
Necnon & Cretę regnum, viridemq. Zacinthum;
Et Venetum imperium mox proferet ad vada ponti
Qua rapidus Tanais, qua præceps Phasis in æquor
Deuoluunt gelidos latices, & qua vagus Ister
Alta petit, vastoq. sonans se gurgite condit.
Ille etiam portus ditione tenebit in oris,
Bosphorus angusta quas verberat horrifer vnda,
Aegypti ad pingues campos; vbi Nilus abundans
Herbosis spumat ripis, limoq. per arua
Inuecto fœcundat agros, tractusq. virentes,
Dehinc sese pelago septena per ostia miscet.
Eoosq. premet sęclis venientibus Indos
Seruitio; Rubriq. maris tunc fręna volentes
Indigenę accipient, necnon & proxima regna;
Persidis & latos fines sua sub iuga mittet.
Parte alia Euganeos tandem subiunget, & vrbes,
Quas Natiso, quas Bacchilio, Silisque, Athesisque,
Quasq. etiam terras interfluit vnda Timaui.
Huic omnis plaga parebit quam nunc Padus ingens
Alluit, atq. omnis regio, quam flumina centum
Lata rigant: quæ perpetuis decursibus intrant
Eridanum, mixtisq. petunt fręta cærula lymphis.
His se fluminibus tandem Nilus comes addet,
Gangesque, Tigrisq. celer, Indusque, & Araxes:
Quorum tunc ductos Phrygio de marmore vultus
Spirantes olim prętoria celsa tenebunt.
Dehinc Cinyps, Rhodanusq. quietis flexibus ibunt,
Mollior atq. vndis domitus decurret Iberus,
Et voluet placidas Ister iam victus arenas.
Illi indignantes alto de gurgite vultus

Cęruleos tollent, & toruo lumine cernent
Signa triumphati lętis successibus orbis:
Quos inter Leo ceu sidus fulgebit, & alas
Pandet ad ætherios axes, terramq. subactam
Bellando ternis pedibus premet, & mare ponet
Oceano pedis intrepidus vestigia dextri.
Gloria tunc Venetum, atq. immensa potentia quantis
Se tollet rebus, quantos aget illa triumphos
Per Latium, perq. Adriaci caua littora ponti?
Tempus erit Venetum quum fortia facta poetæ
Certatim super astra ferent, terraque, mariq.
Perpetuo illorum res gestas carmine condent:
Quæ si quis memorare volet, volet ætheris idem
Scire quot astra polo rutilent sub nocte silenti;
Nosseq. quot volucres primis Aquilonibus actæ
Autumni tranent rapidis lata æquora pennis,
Dum Libyæ inuisunt tepefacta caloribus arua.
Quare agite o ciues hanc Vrbem condite, vosq.
Aeternas sperate domos, mansuraq. régna,
Pontibus & sparsas hæc per vada iungite terras.
Sunt vobis propriæ hic sedes; Venetiq. Senatus
Hic sese imperium tollet; vos linquere terras
Littoreas, patriosq. lares bella aspera cogunt:
Quos semper miles Germanus vexat, & vrget,
Excidijs (vt more suo) petat impius omnem
Italiam. non vos euertere Barbarus hostis
Tentabit, vos hanc secludite pectore curam.
Naualis pugnæ est expers gens illa, nec alto
Assueta: at solita est alpes habitare niuales,
Atq. armata hosti latis occurrere campis;
Et ferro, flammaq. petet tecta alta Aquileiæ,

Fumiferosq. iræ impatiens vrbi inferet ignes,
Atq. solo captam æquabit, rapidaq. subactam
Inuoluet flamma gentem, rerumq. ruina:
Et multas pernix Italis regionibus vrbes
Eruet. huic nullus sumptis Oenotrius armis
Pugnator sese opponet, nec ciuis in arce
Condet inaccessa vel opes, vel pignora, vel se:
Nec belli euadent vicinæ incendia gentes.
Hunnus enim (cælo ceu missum fulmen ab alto)
Innumero euertet murorum milite moles
Oppositas, stragemq. dabit: mox victor ad oras
Pannonias non cæde satur, spolijsq. redibit.
Tu vero Venetum magnorum maxime Princeps
Ne dubita, tandem alma tuos concordia ciues
Vnanimes in pace reget, gremioq. nepotes,
Et sibi subiectas vrbes sine fine fouebit.
Quas inter non fida magis, neq. firmior vnquam
Vrbs erit vlla tibi, quam felix Brixia; quæ pro
Imperio, rebusq. tuis sponte arma capesset,
Et pro te patrios fœdabit sanguine muros.
Tunc cum Cenomanum belli furor ingruet oris,
Ipsa famem feret, & pestem patietur acerbam,
Hostibus & tandem in longa obsidione resistet.
Sed cladis, casusq. tui mea Brixia nondum
Finis erit; mora nulla, iterum gens aspera portis
Imminet, irrumpunt aditus, iam plena viarum
Strata cruore tuo (miserum) manantia passim
Prospicio, & spoliata suis sacraria donis.
Per fora, perq. domos, delubraq. sacra iacebit
Crudeli miles, ciuisq. oppressus ab hoste:
Non aliter quàm quum pecudes, armentaq. campis,

Aut silua, stabulisve iacent extincta luporum
Sæuitia, canibus longo in certamine cæsis,
Et cæso pastore, greges lacerantque, feruntque,
Et calido rabida ora lauant, faucesq. cruore.
Nulla magis bellis vrbs est assueta, nec armis
Vlla magis, proauisq. potens, aut pinguibus agris:
Plurimaq. hæc venis ferri fluit; oppida circum
Hanc sunt tercentum densis circumdata pagis,
Fluminaque, liquidosq. lacus, vndasq. sub altis
Montibus effundit regio fœcunda salubres,
Quarum haustus varios tollunt de corpore morbos;
Nec Sinuessanis, nec littoribus Baiarum
Inuidet: illa licet tulerint super æthera vates.
Sunt montes nemorosi, & valles frugibus aptæ:
Sunt olea læti colles, sunt vitibus apti:
Pascua sunt pecori tot commoda; plenaq. riuis
Irriguis est planicies latissima: qua non
Optatos votis vocat vnquam rusticus imbres,
Quum canis infensus miseris mortalibus alto
Nascitur: hæc segeti fauet, & iuga Gargara vincit.
Non desunt siluæ Phæacum regis, & horti
Hesperidum, qua Benacus pulcherrimus vnda
Pulsat odoratas leni cum murmure ripas.
Illic assiduum ver floret, spirat & aura
Aeternum Zephyri, nec brumam terra, canemq.
Aestiuum curat: tanta indulgentia cæli est.
Qui fremit interdum, Boreæ ceu flatibus æquor
Commotum: resonantq. nouis stridoribus vndæ,
Quas nulla ad cælum mixtas attollit arena.
Et tales alit ille suo sub gurgite pisces,
Queis similes non flumen habet, non educat æquor.
Illic

Illic non desit magni squamosa propago
Benaci: non mille cauo sub fornice pisces.
Sunt etiam magni montes venatibus apti,
Nostraq. se ęquiparant Celatica vina Falernis;
Aut implere lacus, longum aut durare per ęuum.
Et marmor fodit non longe fossor ab Vrbe,
Tęnarijs quod non cedit, Libycisve cauernis.
Est quoque inexhaustis tellus fœcunda metallis:
Siue armare acies bello, siue vsibus vti
Humanis sit opus; rastris aut frangere glebas;
Seu silicem inuisam curuis euellere aratris.
Gensq. assueta feras siluis agitare fugaces,
Et ferro incuruo putres exercita glebas
Vertere; cęlicolis atq. annua reddere vota;
Pastoresque, agrosq. libens lustrare quotannis.
Quumque hiemem Sol tangit equis, armenta magistri
Clausa tenent stabulis: sed quum strepit ales in altis
Culminibus, quę prima dies procedere Veris
Nuntiat, atq. nouis se frondibus induit arbos;
Armentarius alta petit iuga montis, & vmbras,
Et nemora, innumerosq. greges in læta reducit
Pascua, & ad patrios fontes. clementia cęli
Magna; latet vacuo non hic malus anguis in antro;
Nec cęli vitio pereunt armenta, gregesque,
Aut homines. vna instar erit tibi Brixia regni.
Ipsa efferre viros per singula sęcula sueta est
Claros eloquio, legumq. indagine: qui tunc
Orabunt causas vestro admirante Senatu.
Hic medicas artes sciet, & primordia rerum:
Insignes armis alij vestra agmina ducent:
Atq. tuas alius custos fidissimus vrbes,

Aut loca certa reget: pro te populusque, patresq.
Proijcient animas in aperta pericula: sed tu
O Princeps Veneti, Consulq. inuicte Senatus
Sis memor, & facito vt seclis venientibus vrbi
Tam fidæ tua sit felix ventura propago;
Huic faueas, quum tempus erit: placido illa tuorum
Parebit quondam imperio subiecta nepotum.
Et licet huic nunc sit nascenti paruulus vrbi
Circuitus, tamen hanc ventura in secula sedem
Cernetis cælo equatam; cuiq. Itala tellus
Assurget, mirata patres, vrbemq. superbam.
Mox Venetus ditione potens, opibusq. Senatus,
Consilioq. bonus positis dominabitur armis;
Pax erit huic cordi semper: sed sæua per æquor
Bella lacessitus populis, terraq. mouebit.
Hec ille; vt medijs fundatam in fluctibus vrbem
Conspexit; quam longe olim mirabitur omnis
Posteritas, terra pariter, pelagoq. potentem.
Stant gentes lætę ad littus; patrięq. ruinas,
Occasumq. datis solantur in ęquore terris.
Tunc ingens fragor auditus per littora, & aurę
Spirauere leues subito pelagi super vndas,
Insuetumq. dedere sonum: passimq. videres
Lętitia exultare foro vulgusque, patresque:
Et late insonuit lætis clamoribus ęquor
Voce repercussum populi clamantis ad auras.
Hęc super imperio Venetum, factisq. canebam,
Necnon illustri super vrbis origine: quam nunc
Sublimis Priulus sceptri decoratus honore
Dux regit imperijs paribus, pariterq. Senatus;
Quorum sub placita positę ditione tot vrbes,

Et

Et ſparſę pelago terrę, ſubiectaq. regna
Exultant: ſperantq. ſimul longa otia pacis.
Illo me (pręclara tulit quem Brixia in auras
Aethereas, rigui prope Mellę flumina nota)
Tempore vergentem in ſenium tunc Roma tenebat,
Cum foret ęterna Superantius vrbe Iacobus
Orator Venetum magnorum: quam Pius vrbem
Florentem placida Quartus ditione regebat:
Et Vaticanum muris circumdabat altis,
Atq. arcem poſitam flaui prope Thybridis amnem;
Ornabatq. vijs latis, domibuſq. ſuperbis;
Cantantem ſubter Regardi tecta Galeſi,
Aut gelidos inter fontes, lauroſq. comantes,
Qua Vaticanus molli ſe vertice tollit.

FINIS.

LAVRENTII GAMBARAE IN OBITVM RANVTII FARNESII CARDINALIS,

Ad Io. FRANCISCVM Gambaram Cardinalem, Carmen.

IAM *medium cæli superauerat aurea luna,*
Nec solito terras lustrabat lumine, sed se
Atro inuoluebat nimbo, ne funera magni
RANVTII, *& mæstos lacrymantum cernere vultus*
Posset arenosæ procurua ad flumina Parmæ;
Et mortale genus membris infusa tenebat
Grata quies, & noctis erant iam cuncta silentis:
Quum molli somno Clymene haud sopita iacebat,
RANVTII *nam cura sui, non parua, vetabat*
Carpere consuetos somnos, qui tabe latenti
Languebat dudum stratis, noctesq. trahebat
Insomnes, totosq. dies; nec febris anhelæ
Inscia mater erat, gracilesq. oppresserat artus.
At postquam turbata timor insomnia rupit,
Discusso trepidam mentem terrore recepit,
Et sese erexit, cubitoq. innixa, suosq.
Euoluens animo casus; hæc pectore fudit:
Morte tua Paule o felix, tuq. inclyte coniux,
Qui non vidistis duo maxima lumina magnæ
Hesperiæ afflatu ventorum extincta furenti
Ante diem. Tu iam clarus bellator in armis

Henri-

Henriciq. gener regis, qui sceptra tenebat
Gallica, tormento occumbis, dum pectora ferro
Includis, peditesq. paras depellere, qui iam
Ariete pulsabant muros, fossasq. tenebant,
Sub Solis radios Hedini ad mœnia parui.
Heu quantum sese iactabat Romula tellus
Sospite te, quantumq. socer tuus inclytus armis
Gaudebat tali genero, tædaq. recenti.
Bellantem quoties te bellica Gallia vidit,
Viderunt Italæ gentes te in sæua ruentem
Prælia: terror eras Germani militis, atq.
Militis in bellum quem fortis Iberia misit.
Idem hosti metuendus adhuc, sed te breuis vrna
Nunc tegit, & paruo posita est spes tanta sepulchro.
Et me deiectam tanto videre marito
Romulidæ, pariterq. meo dolucre dolore,
Coniugis infandos casus, meaq. irrita vota.
Quin etiam his oculis Carolum miseranda nepotem
Amplexus inter vidi matrisque, meosq.
Exhalantem animam. non illo pulchrior alter
Ausonidum quondam, Romana nec induit arma.
Ille quidem tum paruus equum per prata fugacem
Exceptus dorso, frænis parere iubebat,
Et litui sonitu, & grato gaudebat equorum
Hinnitu, belliq. etiam simulacra ciebat.
Namq. ingens dederas specimen virtutis in ipso
Flore ætatis adhuc teneræ, & primoribus annis,
Indicium & leti signum iam iamq. futuri.
Tuq. etiam Hostili vix natus quattuor annos
Laberis, haud aliter quàm flos quem frigida lympha
Deseruit; calor æstiuus quum gramina torret.

Et tu RANVTI *dum Parmam inuisis, vt vrbes*
Egregias regeres, & rerum fratris habenas;
Quem Margarita Carolo sata Cæsare coniunx
In Belgas natale solum, patriamq. vocarat
Ad dulces nati tædas, te tabida febris,
Lentaq. corripuit: quæ sic accensa remisit
Se nunquam, donec paulatim euanuit ipso
Corpore vitalis calor, & frigentia liquit
Membra toro, & petijt cæli vigor igneus arces.
Te rebar felicem etiam veniente senecta;
Vt tota vnanimis tibi Roma assurgeret vni
Regia dona ferens reduci, fascesq. senatus
Purpurei, sellam & regni; qua lætus auita
Sede sedens, ferres populo sacra iura Quirini.
Vtq. tuis tua cara parens daret oscula supplex
Ante alias sacris pedibus, comitante Quiritum
Concursu, ingenti matronarumq. caterua.
At tibi nunc vitam e membris violentia morbi
Extorsit, miseramq. tua me morte relinquis,
Et Zephyri in rapidos tulerunt mea gaudia fluctus;
Pro populi plausu, pro spe subit æger amaror,
Et pro lætitia gemitus renouantur acerbi.
Natorum & quamuis nati, fratresq. supersint
Nate tui, tamen ipsa dolens tua funera flebo
Ad tumulum; & gemitum longis singultibus addam.
Nox erit hæc funesta mihi, lacrymosaq. semper:
Nam tu sæpe tuo dulci sermone solebas
Immissas animo morte infelicis Horati
Solari curas: & nunc miseræ mihi luctum
Antiquum ingeminas matri, duplicasq. dolorem.
Sed nec adhuc animo vetus est deleta cicatrix

Coniugis & nati, quum iam plaga altera facta est,
Et crudescit hians, totoq. in pectore surgit.
Tu vero pater omnipotens, qui corda precantum
Aspicis, & fusis precibus placaris, & omneis
Turbine deprensos Libycis in syrtibus audis;
Tu geminos serua natos, pariterq. nepotes,
Qui matri intersint moriturae, & nostra resignent
Lumina, meq. patrum condant de more sepulchro.
Dixit; & exiluit stratis, animamq. beatam
RANVTII famulas inter collapsa, ciebat.
Haec Clymene turbata animum FRANCISCE recenti
Vulnere, sic questa est dilecti in funere nati.
Quid dicam? tremor insolitus per membra querentis
Infusus Clymene, qui iam concusserat artus,
Ossaq. signa dedit matri, non vana, doloris
Alterius: nam RANVTIVS sub luce sequenti,
Ante iubar Solis quàm sese efferret ab oris
Aurorae, clarumq. diem per inania secum
Duceret, immiti iam candida lumina morte
Soluerat, inq. graui luctu iam liquerat vrbis
Primores, totamq. domum; quos ille prius quam
Desereret lucem hanc, nostrisq. recederet oris,
Colloquio affatus solito est, quo credere cogor
Illius sine labe animam super ardua vectam
Sidera, & excelsa caeli in regione locatam.
Cenomanum FRANCISCE decus, tu testis es ipse;
Postquam hausit lucem hanc, & trista limina postquã
Instantis leti, iam leto addictus, iniuit:
Quo candore animi labentes egerit annos,
Qua coluit pietate Deum, qua mente parentes,
Aequata regeret populos vt lance volentes:

Quoue animi patres orando ardore moueret
Purpureos, Tyrio ipse etiam spectandus amictu:
Aut rerum cæcas quo panderet ordine causas.
Quum vero natum Clymene Farnesia flebit,
Me quoque (grata mihi cum sint tua iussa) videbis
FRANCISCE *ad tumulũ, postquam pia sacra sacerdos*
Fecerit, & mœsto dicentem carmine magnum
RANVTIVM, *quẽ Roma parens, gensq. Itala deflet,*
Et quicumq. animum studijs exercet honestis.
Nec quisquam tamen est, te excepto, qui mage acerbam
RANVTII *mortem doleat, gemitumq. parentis.*
Heu postquã hæc clades venit Stimiconis ad aures,
Exanimis per humum iacuit, veluti iacet alnus
Strata solo, tumidi torrentis ab agmine, & Austro,
Et multum illacrymans opera interrupta reliquit.
Quem propter mœsti ciues, populusq. sepulchrum
Egregium parui statuere Almonis ad amnem,
Non longe qua se Tiberinam inuoluit in vndam.
Vos, o pastores, lacrymis decorate supremis
RANVTIVM, *siluasq. colens Serrane virentes*
Da lacrymas, moueat pietas vos cetera pubes
Ruris, & vndanteis lacrymarum effundite riuos.
Tu quoque, quæ nostris respondes vocibus Echo,
Hæc infausta refer tristi mea carmina voce,
Et redde has nostras verborum ex ordine formas:
Vt resonent patrio positum caua saxa sepulchro
RANVTIVM, *vocesq. meas tecta alta remittant,*
Testenturq. meos RANVTI *ob funera luctus.*

FINIS.